

viam ostendat? Quicquid igitur sit de usu aliquali, ad indefes-  
sum scrutatorem obscuritatum earum redundante, non nisi otiosis  
tamen ingeniis commendari labor iste poterit; cum satis habeamus  
lucis ad fidem & vitam in ipsis Scripturis sacris, & in ejus medita-  
tione tempus *die ac nocte* collocari queat longè utilius. Qvis ve-  
rò sanus, hisce positis, Salvatorem nostrum ad scripta ejusmodi  
mystica, etsi quædam extiterint, provocasse, affirmare potest? Neq;  
etiam *alibi* probavit Observator, prout gloriatur, Christum ac Apo-  
stolos Cabbala, tali modo, ut vocem ipse sumit, accepta, usos esse,  
Qua de re quædam dicentur c. IV.

## CAP. III.

### De Scrutandi actu.

§. I. Actus scrutandi τὰς γραφὰς insinuatur à Salva-  
tore voce ἐπειρᾶτε; quæ vox, ut iis, qui Græcæ linguæ non  
plane rudes sunt, facile constat, tam *indicativi* quam *imperativi*  
modi esse potest; indeque, sicut in æquivocis fieri solet, ex-  
plicatio ex contextu atque circumstantiis petenda venit. Non  
negandum equidem, modò rationes statim insequentēs, quas ante  
sect. I. §. 4. adduximus, considerentur, nempe: quod *vita eterna in*  
*Scripturis habeatur*, eæque *de Christo testentur*; non adeo mul-  
tum interesse: an vox ἐπειρᾶτε *indicativè*, an *imperativè*, expli-  
cetur. Imò B. Prücknerus *Vind. ad h. l.*, (quem procul dubio  
intelligit *Misander in Delit. Bibl. ad h. l.* dum per vitium typogra-  
phicum ad *Brücknerum* provocat) p. 600 b., *Scrutamini*, inquit,  
*imperando an indicando sumatur, haud pili hic interest. Nam tota*  
*vis argumenti nostri in his est: illæ testantur de me. Prücknerum*  
sequitur B. Qvensted. *Syst. P. I. p. 219.* Nec minus B. Seb. *Schmi-*  
*dus Coll. Bibl. post. Loc. I. §. 4.* dicit, *quod non plane pervertatur*  
*sensus & usus loci, si in Indicativo legatur.* Sane, si adesset *indi-*  
*cativus*, sequenti modo: *legite Scripturas, & illæ testantur de me;*  
in hac oratione Christi, in qua ille personam suam ex S. Scripturis,  
ut ita loquar, legitimabat, adesset *legendi præceptum*; etsi non *ex-*  
*PLICITÈ* per apertum imperativum, tamen *IMPLICITÈ* propter ad-  
*junctam rationem*: dum scil. vult, ut Judæi legentes id credant,  
quod